

& salutis æternæ. Major constat. Minor vero ex h. l. probatur.

Qv. XXXII. *Quid sit peccatum in Sp. S. quod Jobannis b. l. vocat peccatum ad Mortem?* Resp. Definitionem peccati illius in Spiritum S. ingrediuntur omnia peccati ejusdem requisita, quæ prius ordine enumerabimus, & deinde ex iis definitionem ipsam colligemus. Requisita autem peccati in Spiritum S. nobis in S. literis proponuntur 10. quorum sunt:

1. Abnegatio veritatis Evangelicæ $\pi\acute{\epsilon}\omega\tau\omega\varsigma$, legalis v. $\delta\epsilon\upsilon\tau\acute{\epsilon}\rho\omega\varsigma$ Hebr. 6. v. 4. 5.

2. Abnegatio veritatis divinæ agnitæ. Heb. 10. v. 26.

3. Abnegatio illa est vel secundum totum Heb. 6. vel secundum aliquam ejus partem.

4. Proficiscitur ex odio ceu Radice Heb. 10. v. 29.

5. Facta $\epsilon\kappa\chi\sigma\iota\omega\varsigma$ voluntariè, spontè seu ex destinato proposito Heb. 10. v. 16.

6. Obstinatè Heb. 10. v. 29.

7. Truculentâ ejus oppugnatione, Matth. 18. v. 12. 32.

8. Cum hostili sive ore sive corde contra accusantem conscientiam, blasphemia Heb. 10. v. 29. Heb. 6. v. 5. Matth. 12. v. 31.

9. Contra acculantem conscientiam Tit. 31. v. 10. 11.

10. Quæ omnia sequitur finalis impœnitentia, quæ juxta nonnullos non ingreditur Essentiam peccati; ubi sic quærunt: *An finalis impœnitentia essentialiter requiratur ad peccatum in Spiritum S.?* Alii negant ut D. Havermannus; alii vero affirmant ut Calixtus. Sed hujus quæstionis tractationem jam missam facimus. Hæc sunt jam decem illa requisita Peccati in Sp. S. è Sacris literis desumpta: Ex quibus talem peccati in Spiritum S. definitionem colligimus: *Peccatum in Spiritum S. est veritatis cælestis & Divine agnitæ abnegatio, tum Evangelicæ tum legalis, vel secundum totum, vel secundum aliquam ejus partem, profecta ex odio ceu radice, facta ab homine indurato & obstinato spontè $\epsilon\kappa\chi\sigma\iota\omega\varsigma$ seu ex destinato proposito, cum truculentâ ejus & hostili sive ore sive corde concepta contra accusantem conscientiam oppugnatione, cum blasphemâ, & impœnitentiâ finali conjuncta.*

R 3

Qv. XXXIII.